

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Exegetico-Critica Exhibens Vindicias
Integritatis S. Scripturae Qvo Ad Locvm Vexatissimvm 2.
Chron. XXII, 1.2 De Annis Ahasiae**

Consentiente Venerando Theologorum Ordine - A. D. Jvnii A. R. S. MDCCL
... Pvblice Tvebitvr

Lilienthal, Theodor Christoph Lilienthal, Theodor Christoph

Regiomonti, MDCCL

VD18 90565037

§. IV.

urn:nbn:de:gbv:45:1-15087

SALOM. GLASSIUS in *Philol. S. Lib. I. Tract. I. p. 82.* Nos non immerito, scribit, inexplicabilem hanc esse quaestionem cum Hieronymo arbitramur. Sique locus iste mendo forsan obnoxius esset, et nulla conciliationis debitae dari posset ratio commoda, ad illud confugimus ultimo, quod supra ad locum Num. III. 39. resp. 2. fuit monitum, ac repetimus adductam ibi similitudinem leuiter inflexam: ut in vinam aquarum scaturiginem incidens lapillus, ipsam propterea contaminatam non reddit: ita multo minus dictionis vnius in textu Hebraeo immutatio, (cuius exacta satis ratio dari nequit,) fontem diuinum coinquinatum et impurum constituet.

§. IV.

Nec omni carent specie, quae pro hac sententia adducuntur argumenta. Tantum enim abesse aiunt eius defensores, ut debitae erga S. Scripturam venerationi quicquam detraheret; ut potius hac ratione facilius tueri queamus Verbi diuini auctoritatem, quam per contortam nimis conciliationem, quae Antiscripturariis modo ansam daret, de argumentorum nostrorum debilitate conquerendi. Nec ideo S. Codicis integritatem corruere, si vel maxime in vno vel altero loco, idque in accessoriis, nominibus, numeris et id genus aliis, aliqualem passus fuisset corruptionem, quae tamen ope regularum Criticarum et parallelismi corrigi feliciter possit: multo minus Criticis integrum esse, vbiuis pro lubitu tales praeter necessitatem fingendi deprauationes. In nostro autem loco, ob inexplicabiles difficultates corruptionem eo probabiliorem videri, quo facilius esset litterarum ככ in כמ permutatio. Quum enim littera כ quae XX. denotat, admodum similis sit litterae מ quae numeri XL. nota est; incuria librarii factum esse, ut hanc pro illa scripserit. Tandem in subsidium allegant auctoritatem versionis Syriacae, qua ecclesia Antiochena vsa est, et Arabicae cum Antiochenae tum Alexandrinae. Vtramque enim in nostro loco Achasiae tantummodo annos XXII. tribuere, consentientibus quibusdam Versionis Septuagintaviralis codicibus (*).

(*) Conf. MATTH. POLUS in *Synops. Critic. T. I. ad h. l.*

§. V.

Verum enimvero grauissimae obstant rationes, quo minus nostrum locum vniuersalem subiisse deprauationem concedamus. Nam

A 3

1) li-

